Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Hymni de temp. et sanctis ... redacti ... emendati - Cod. Ettenheim-Münster 43

[S.l.], 1493-1494

expl. hec Clementina de reliquiis ... a. 1494

urn:nbn:de:bsz:31-108176

Visual Library

Si dominum in sanctis eius laudare iubemur dignum et debitum esse iustum et salutare nobis existit ut sibi in se ipso quo nos quamdiu spiritualiter reficit memoria corporis laudes festive veneratione et gratias referamus. Hac itaque consideratione inducti constitutionem a bone memorie Urbano papa quarto predecessore nostro super hoc editam de fratrum nostrorum consilio districte precipimus observari cuius tenor sequitur in hec verba

Urbanus episcopus servus servorum dei venerabilibus fratribus patriarchis archiepiscopis episcopis et aliis ecclesiarum prelatis et cetera.

Transiturus de mundo ad patrem salvator noster dominus Ihesus Christus cum tempus passionis sue instaret sumpta cena in memoriam mortis sue instituit summum et magnificum sui corporis et sanguinis sacramentum corpus in cibum et sanguinem in poculum tribuendo Nam quotiens hunc panem manducamus et calicem bibimus mortem domini annunciamus. In institutione quidem huius sacramenti dixit ipse apostolis Hoc facite in meam commemorationem ut precipuum et insigne memoriale sui amoris eximii quo nos dilexit esset nobis hoc precelsum et venerabile sacramentum memoriale inquam mirabile ac stupendum delectabile suave tutissimum ac super omnia preciosum in quo innovata sunt signa et mirabilia immutata in quo habetur omne delectamentum et omnis saporis suavitas ipsaque dulcedo domini degustatur in quo utique vite suffragium consequimur et salutis. Hoc est memoriale dulcissimum memoriale sacratissimum memoriale salvificum in quo gratam redemptionis nostre recensemus memoriam in quo a malo retrahimur et in bono confortamur et ad virtutum et gratiarum proficimus incrementa

Dubium quare laici non ... gitant sub utraque specie sed sacerdotes sub specie panis. Dicendum quod hoc contingit propter varias causas. Prima est propter periculum distillationis et effusionis sanguinis quod nimis tractare est valde periculosum propter ... facilius effundi posset ... multitudine hominum ... sit ... Secunda est propter ... Tertia quia populus et indus ... sic sentit quod ... sit ... sub una specie ... corpus domini ... sanguinem ... corpus ... sanguine ...

In propria vero substantia est nobiscum. Circa venerabile sacramentum eucharistie attendendum est primo a bono christiano quod in hoc sacramento christus qui de virgine natus et passus est continetur. Secundo quod corpus christi potest esse in pluribus locis quando [?] plures panes transsubstanciantur in ipsum. Tertio quod accidentia manent sine subiecto per consecrationem virtute divina retinent tamen vim agendi vel patiendi in corpore christi que prius habuerunt [?] Quarto credendum quod facta consecratione ubique non minus in hostia sub specie panis ut de vino sub specie vini statim corpus christi in hostia et sanguis eius in calice. Quinto credendum quod fractio que fit de hostia non fit in corpore christi sed tantum in speciebus hostie. Sexto credendum quod in hostia sunt quatuor. Primo enim virtute verborum est corpus christi. Secundo sanguis ex quadam naturali concomitantia. Tertio est anima christi ex concomitantia tamen [?] mediata. Quarto ibi est deitas ex quadam concomitantia remota. Septimo credendum quod sufficit populo communicare sub specie panis tantum sed sacerdos celebrans sub utraque specie debet communicare.

... mecta [?]: in quo perfecto presencia ipsius corporali presencia salvatoris. Alia namque quorundam memoria agimus spiritu et mente complectimur: sed non propter hoc realem eorum presentiam obtinemus. In hac vero sacramentali christi commemoratione Jhesus christus presens sub alia quidem forma in propria vero substantia est nobiscum. Ascensurus enim in celum dixit apostolis et eorum sequacibus: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consumationem seculi: benigna ipsos promissione confortans quod remaneret et esset cum eis etiam presentia corporali. O digna et nunquam intermittenda memoria: in qua mortem nostram recolimus mortuam nostrumque interitum interiisse: ac lignum vitiferum ligno vite affixum fructum nobis attulisse salutis. Hec est commemoratio gloriosa: que fidelium animos replet gaudio salutari et cum infusione letitie devotionis lachrymas subministrat: exultamus nimirum nostram recolendo liberationem et recolendo passionem domini per quam liberati sumus: vix lachrymas continemus. In hac itaque sacratissima commemoratione assunt nobis suavitatis gaudium simul et lachryme. Quia et in ea congaudemus lachrymantes et lachrymamur devote gaudentes: letas habendo lachrymas et letitiam lachrymantem. Nam et cor ingenti perfusum gaudio dulces per oculos stillat guttas. ~~O i[mmensitas]~~ O divini amoris immensitas: divine pietatis superabundantia: divina affluentia largitatis. Dedit enim nobis dominus omnia que subiecit sub pedibus nostris et super universas terre creaturas contulit nobis dominium principatum. Ex ministerio etiam spirituum superiorum nobilitat et sublimat hominis dignitatem. Administratorii namque sunt omnes in ministerium missi propter eos qui hereditatem salutis capiunt destinati. Et cum tam copiosa fuerit circa nos eius munificentia volens adhuc ipse in nobis suam exuberantem charitatem precipua

liberalitate monstraret semetipsum nobis exhibuit et transcendens omnem plenitudinem largitatis omnem modum dilectionis excedens attribuit se in cibum. O singularis et admiranda liberalitas ubi donator venit in donum et datum est idem penitus cum datore: quam larga et prodiga largitas cum tribuit quis se ipsum. Dedit igitur nobis se in pabulum ut quia per mortem homo corruerat et per cibum ipse relevaretur ad vitam. Cecidit homo per cibum ligni mortiferi: relevatus est homo per cibum ligni vitalis. In illo pependit esca mortis: in isto pependit vite alimentum. Illius esus meruit lesionem: istius gustus intulit sanitatem. Gustus sauciavit et gustus sanavit. Vide quia unde vulnus est ortum processit et medela et unde mors subiit exinde vita evenit. De illo siquidem gustu dicitur quacumque die comederis morte morieris. De isto vero legitur si quis comederit ex hoc pane vivet in eternum. Hic est cibus qui plene reficit: vere nutrit summe impinguat non corpus sed cor non carnem sed animam non ventrem sed mentem. Homini ergo qui spirituali alimonia indigebat salvator ipse misericorditer de nobiliori et potiori huius mundi alimento pro anime refectione pia disposicione providit. Decens quoque liberalitas extitit et conveniens operatio pietatis ut verbum dei eternum quod rationabilis creature cibus est et refectio factum caro se rationabili creature carni et corpori homini videlicet in edulium largiretur. Panem enim angelorum manducavit homo et ideo salvator ait caro mea vere est cibus. Hic panis sumitur sed vere non consumitur. Manducatur sed non transmutatur: quia in edentem minime transformatur. Sed si digne recipitur sibi recipientem conformat. O excellentissimum sacramentum. O adorandum venerandum colendum glorificandum precipuis magnificandum laudibus: dignis preconiis exaltandum: cunctis honorandum studiis devotis

Johannis 6 circa finem

Datum est idem penitus cum datore

Versus: Rex sedet in cena turba cinctus duodena se tenet in manibus: se cibat ipse cibus

Confectio crismatis ¶ Sed confectio crismatis fit vel singulis annis et vetus cremari de consecracione
Distinctione 3a litteris

frequentando obsequiis et studiis mentibus retinendo. ¶ Hoc me-
moriale nobilissimum in terris commendandum preconiis:
serviciis allegandum: diligenter reservandum in cordis
vero et meditacione ac celebracione sedula recolendum.
¶ Huius memorialis continua debemus celebrare memoriam.
ut illius cuius ipsum fore memoriale cognoscimus semper
memores existamus: quia cuius donum vel munus frequen-
cius aspicitur: huius memoria strictius retinetur.

¶ Licet igitur hoc memorabile sacramentum

in quotidianis missarum solempniis frequentetur: conveniens
tamen arbitramur et dignum ut de ipso semel saltem in anno
ad confundendam specialiter hereticorum perfidiam
et insaniam memoria solempnior et celebrior habeatur.
¶ Quia namque cena domini quo die ipse christus
hoc instituit sacramentum: universalis ecclesia pro penitencium
reconciliacione sacri confectione crismatis adimplecione
mandati circa lotionem pedum et aliis plurimis occupata
plene vacare non potest celebracioni huius maximi
sacramenti. ¶ Hoc enim circa sanctos quos per anni circulum
veneramur: ipsa observat ecclesia ut quamvis in letaniis
et missis ac aliis ipsorum memoriam sepius renovemus:
nichilominus tamen ipsorum natalicia certis diebus per annum
solempnius recolat: festa propter hoc eisdem diebus specialia
celebrando. ¶ Et quia in hiis festis circa solempnitatis
debitum aliquid per negligenciam aut rei familiaris occu-
pacionem aut alias ex humana fragilitate omittitur
statuit ipsa mater ecclesia certam diem in qua generaliter
omnium sanctorum commemoracio fieret: ut in hac ipsorum
celebracione communi quicquid in propriis ipsorum solempnitatibus
omissum existeret solveretur. ¶ Potissime igitur exe-
quendum est erga hoc vivificum sacramentum corporis

Remisit ad ordinem suum et valde affectuose. ¶ Hic subiecit narracionem et adducit huius causas quare festum corporis christi institutum est semel celebrari in anno quia ut toto anno celebrentur festa sanctorum ad ecclesia non obstante sancta ecclesia instituit unum festum generale omnium sanctorum ut si quid esset neglectum per totum annum in diebus specialibus sanctorum in illo festo persolveretur ¶ Sic ergo hoc sit in sanctis multo plus debet fieri in sacramento sanctissimo eucharistie quod valde licet licet omni die celebretur et precipue in cena domini tamen quia populus occupatus est multis aliis scilicet in penitenciis agendis sancta ecclesia instituit speciale festum in 5a feria post octavam penthecostes ubi deberet celebrari et venerari sanctissimum sacramentum eucharistie.

Omnium sanctorum Et

¶ In hac parte Iohannes An[dree] dicit in vehit contra italos qui in die omnium sanctorum vestes omnibus auferunt sed Romani hoc ferunt vero dicunt ¶ Nam cum galli ceperunt urbem et obsiderent capitolium ac lanceas auferrent capitali fuit romani ¶ Nam cum [illegible] qui deinde alios excitavit vero ambrosius in exameron ¶ Merito debes ausferri tanta quod regnat diis tui deviabat et ausfaces [illegible] gilabant illis porta [illegible] sacrificare quod diis ¶ Et dant cum diis [illegible] ausferunt a quibus [illegible] [illegible] [illegible] et ab hoste [illegible] ¶ Et ysidorus [illegible] ethimologiarum gallorum [illegible] capitolio auferrent clangore [illegible] ¶ Nulla cum ac ita [illegible] hoc fecit ut ausferri [illegible]

et sanguinis Jhesu Christi qui est sanctorum omnium gloria et corona ut festivitate ac celebritate prefulgeat speciali: quatenus in eo quod in aliis missarum officiis circa solennitatem est forsitan pretermissum devota diligentia suppleatur et fideles festivitate ipsa instante intra se preterita memorantes, id quod in ipsis missarum solenniis secularibus forsan agendis impliciti aut alias ex negligentia vel fragilitate humana minus plene gesserunt: tunc attente in humilitate spiritus et animi puritate restaurent. Intelleximus autem olim dum in minori essemus officio constituti quod fuerat quibusdam catholicis divinitus revelatum festum huiusmodi generaliter in ecclesia celebrandum. Nos itaque ad corroborationem et exaltationem catholice fidei digne ac rationabiliter duximus statuendum ut de tanto sacramento preter quotidianam memoriam quam de ipso facit ecclesia: solennior et specialior annuatim memoria celebretur certum ad hoc designantes et describentes diem videlicet feriam quintam proximam post octavam penthecostes ut in ipsa quinta feria devote turbe fidelium propter hoc ad ecclesias affectuose concurrant et tam clerici quam populi gaudentes in cantica laudum surgant. Tunc enim omnium corda et vota ora et labia hymnos persolvant letitie salutaris. Tunc psallat fides: spes tripudiet: exultet charitas: devotio plaudat: iubilet chorus: puritas iocundetur. Tunc singuli alacri animo promptaque voluntate conveniant sua studia laudabiliter exequendo: tanti festi solennia celebrantes et utinam ad Christi famulatum sic eius fideles ardor inflammet ut per hec et alia proficientibus ipsis meritorum cumulis apud eum qui sese dedit pro eis in pretium tribuitque se ipsis in pabulum

Penthecoste sic dicitur a penta quod est quinque et coste decem quia quinquaginta dies sunt inter festum resurrectionis et penthecostes computato utroque festo. Et quidam dicunt penthecoste [illegible]. Alii vero hic penthecoste in decima [illegible]

Nota hymni proprie sunt cantica laudis. Cantica [illegible] sunt cantica laudantis.

...utra parte et ultima ut
christianus populus maiorem ha-
beat devocionem ad illud festum conce-
dimus multas indulgencias eis con-
fessis qui interfuerint huic festivitati
singulis horis per totam octavam

Item dicitur dies festus quinta feria
loquendo / sed in principio communiter
dicimus feriam appellamus

Reductus oracionis

Ecclesiastici tricesimo quinto Ora-
cio humiliantis se penetrabit
nubes. Et Ieronimus super
Matheum In temptacionem intrat
qui orare negligit. Item Augu-
stinus Oracio est orantis presidium
angelis solacium deo gratum sa-
crificium. Nam principaliter valet
contra vicia spiritualia. Item per
oracionem revelantur secreta di-
vina. Et Boecius dicit Non
frustra in deos spes ponuntur et preces
que cum recte sunt inefficaces
esse non possunt

tandem post huius vite decursum eis se in premium lar-
giatur. Ideoque universitati vestre monemus
et hortamur in domino et per apostolica scripta in virtute
sancte obediencie districte precipiendo mandamus in re-
missionem peccaminum iniungentes quatenus tam excelsum
et tam gloriosum festum predicta quinta feria singulis
annis devote ac solempniter celebretis et faciatis
studiose per universas ecclesias civitatum vestrarum et diocesum
celebrari: subditos vestros in dominica dictam quintam
feriam proxime precedente salutaribus monitis sollicite
per vos et per alios exhortantes ut per veram et puram
confessionem: elemosinarum largicionem: attentas et sedu-
las oraciones et alia devocionis et pietatis opera
taliter se studeant preparare quod huius preciosissimi sacra-
menti mereantur fieri participes illa die possintque
ipsum suscipere reverenter ac eius virtute augmentum
consequi graciarum. Nos enim christi fideles ad colendum
tantum festum et celebrandum donis volentes spiritualibus
animare omnibus vere penitentibus et confessis qui
matutinali officio festi eiusdem in ecclesia in qua illud
celebrabitur / interfuerint centum. Qui vero misse totidem.
Qui autem in primis ipsius festi vesperis interfuerint simili-
ter centum. Qui vero in secundis totidem. Illis vero qui prime
tercie et sexte none ac completorii officiis interfuerint
pro qualibet horarum ipsarum quadraginta. Illis autem
qui per octavas illius festi matutinalibus vespertinis
misse ac predictarum horarum officiis interfuerint centum
dies singulis octavarum ipsarum diebus de omnipotentis
dei misericordia ac beatorum apostolorum eius petri et pauli aucto-
ritate confisi de iniunctis sibi penitenciis relaxamus.

Explicit hec Clementina de
reliquiis et veneracione sanctorum
et de venerabili sacramento. I. C. G.

Explicit